

Q.K.  
415  
9.

(X 1877398)

II i  
1990

DISSERTATIUNCULA

DE EO

NUMQUID IN  
LAUDEM CHRISTI-  
ANORUM QUONDAM DIXE-  
RINT GENTILES ?

QUA

*PLURIMUM VENERABILE*

DNN.

INSPECTORUM

COLLEGIUM,

OMNEIS ITEM LITERARUM

FAUTORES, PATRONOS ET STU-  
DIOSOS,

M. JOH. FRIDERICUS Röber/

ILLUSTR. RUTHENEI RECTOR,

ad benevolè auscultandum

JOH. CHRISTIANI HESSI

PEGAVIA- MISNICI,

Valedictoriam

ORATIONEM,

Submissè, perquam officiosè ac  
humanissimè

INVITAT.

UNIVERSITÄT & BIBLIOTHEK  
HALLE (SMILE)

BIBLIOTHECA  
POMICKAWIANA

GERÆ, Typis MÜLLERIANIS.

Moy. Schwömer  
a.

0110







A. Ω.



N hac immensa rerum universitate nihil propè tam eximium & bonum est, quod etsi laude dignissimum, censuram tamen improborum non subeat. Elevemus oculos supra nos ad cœlum, amplissimum illud astrorum domicilium, ecquid in eo præstantius ac nobilius Sole? Siderum hic ibidem tenet princi-

patum, *dux (a) & princeps & moderator luminum reliquorum, tantâ magnitudine, ut cuncta luce suâ lustret & compleat, tantâ bonitate, ut omnia calore foveat, radiis fuscitet, splendore recreet suo.* Quô etiam factum est, ut veluti magnus in sublimi DEUS cum à gentibus quamplurimis, *(b) tum à Persis præcipuè, singulari veneratione sit cultus, quippe qui unum hunc Deum credebant esse, eidemque sacrificabant equos. (c) Et tamen legimus, Atlantes, barbaros in Lybia populos, tam ab humano ritu prorsus exulâsse, ut diris Solis ortum exceperint, diris occasum profecuti sint, ustique torrentis plagæ fidere, oderint Deum lucis; ut Solinus (d) polyhistor ex Plinio (e) commemorat.* Et quid de homine dicam? *Est quasi mortalis Deus: dicit facundo ore facundiæ omnis instar Cicero: (f) Omnium optimum animalium, ait princeps Philosophus: (g) mensura omnium rerum, inquit Protagoras; (h) eundem θαῦμα θεῶν Plato, (i) & Cicero iterum (k) animal vocat providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilii: cujus causâ cuncta alia genuisse natura videtur Plinio. (l) Aliis contrâ nunc pulvis & umbra audit, (m) nunc vas quassum & fragile, (n) nunc calamitatis fabula (o) Scito (verba sunt Augustini (p)) quomodo homo es, cujus conceptio culpa, nasci miseria, vivere pœna, mori necesse?* Quid Sospitatoris nostro optimo acciderit, non ita pridem dictum dissertatiunculâ de iis, quæ sive benè sive malè de Christo quondam senserint *οἱ ἕξωθεν* conscripta. Nunc de Christianis porrò videndum, quid tum in eorum laudem, tum opprobrium dixerint alieni à Christo homines. Igitur hîc ante omnia videamus, numquid extet in scriptis gentilium, quod nomen ac vitam Chri-

( 2 ) sto





sto deditorum commendare ac celebrare ad suos queat. Verum occurrit statim, quod Mimus (q) quidam, ut refert Vopiscus in Aurelio, dixit de Romanis Cæsaribus, cum eorum ad M. Aurelium, optimum Imperatorem longa jam series texeretur, qui ex eo omni numero boni fuissent, in uno annulo scribi distinguique posse. Etenim prout rari sunt omnino boni ac veritatis studiosi Auctores, cum de hoste loqui necessum est: Sic mirandum magnopere non est, si, qui in Christianorum laudem benè locuti sint quondam, reperiri queant paucissimi. Erant enim Christi sinceri cultores, quod princeps Apostolorum ait (r) *ὡς ἐμαδάσματα ἔκδομα, πάντων ἐπιψήματα, excrementa mundi, omnium rejectamenta.* Nihilo tamen minus jam tum ea vis fuit veritatis, ut premi quidem valdè potuerit, non opprimi tamen omnino aut perdi. Tantum igitur abest, ut in opprobrium Christianorum vertat, ut pietatem potius & morum innocentiam, cui sedulò studebant, depraedicet & vel ad cælum tollat, quod Plinius ad Trajanum Imper. scribit: (s) *Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpa sua vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire carmenq; Christo quasi Deo dicere secum invicem; sicque Sacramento, non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursumque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium.* Quæ si crimina sunt, accuratiori sive inquisitione, sive severiori supplicio digna, mi Plini; ecquis infitias eat, virtutum nomina transiisse in criminum adpellationem, & pœnam scelerum sufferre amorem honesti, quod ratio omnium rerum dominium vult obtinere? Nisi grande scelus fuisse dicamus & ipsâ piandum morte, quod suum Sospitatori cultum exhibuere, & innocuum unâ in suis *ἐπιψήματα* cepere cibum. Itaque non immeritò tuus Imperator ac Dominus, Trajanus, in suo rescripto monuit, non conquirendos amplius esse Christianos: quamvis hostilem in eos prodat animum, puniendos esse, si deferantur & arguantur. Quasi nempe accusasse sufficiat: ego verò ita existimo, quò majus crimen sit id, quod ostendatur esse falsum, hoc majorem ab eò injuriam fieri, qui id confingat: præclare ait prudentiæ consultus Cicero. (t) Equidem arbitratur Balduinus, Jctus, quasi ita etiam Christianos beneficio obstrinxerit sibi Trajanus, qui, cum potuisset pejora, non tamen voluerit adversus ipsos decernere. Verum non injuriâ id tanquam iniquum ac nefas reprehendit Tertullianus eodem tempore: (u) & nos dicimus cum Huetio: (x) si hoc in Christianos Trajani fuit benignitatis specimen ac documentum; beneficos etiam ac mites in peregrinos

ac



ac viatores habendos esse Scironem & Procrusten, crudelissimos latrones, qui, quos nefarie tortos poterant lentâ perimere morte, eos confestim necaverint. Inquirendum antè sollicitius in Christianorum vitam ac mores fuisset, quàm crudeliter in eos consulendum, causâ nondum satis cognita & exploratâ. Quid ergò in Christianis nostris invenisti, mi Plini, tam atroci morte dignum? dic, si quid habes, bone vir? *Nihil aliud inveni (ait) quàm superstitionem pravam & immodicam.* Sed & hoc probandum tibi incubuit, mi Secunde. Quare grandem omnino erras errorem, dumque, quod opinaris, pro veritate habes, & quod invenisse te dicis, nondum tenes, cum Ixione nubem pro Junone amplexaris, atque adeò cum temetipsum, tum & Trajanum tuum deludis nequiter ac fallis, Quare laudabilius egit & Serenius Gratianus Proconsul Asiæ, & Imperator Hadrianus. (γ) Ille enim literis ad hunc scripserat, *iniquum esse Christianos nullius criminis reos indictâ causâ in vulgi gratiam trucidari.* Cujus successori Minutio Fundano idem respondit laudatissimus Imperator; *Subere se, si quid adversus leges admissum esset à Christianis, id ab illis animadverti; sin per calumniam accersiti essent, delatorem ipsum pro criminis pravitate pœnas luere.* Quod justissimum rescriptum Apologiis suis ad Antoninum, Aurelium & Verum Imperatores meritò intexuerunt, & celebrârunt Justinus Martyr & Melito Sardenfis, viri fide dignissimi & planè illorum temporum, cum eos ipsos alloquerentur, quorum intererat præcipuè harum rerum veritatem habere perspectam. Extat aliud hujusmodi edictum apud Eusebium (ζ) & Antonini quidem Pii Imperatoris; etsi illud Aurelio tribuere malit doctissimus Huetius. (αα) Hâc epistolâ commendatur Christianorum pietas & constantia, ut mortem oppetere malint, quàm ethnicorum impietati obsequi; extollitur quoque illorum in periculis fortitudo, cui indicio sit, quòd, cum terra motu quassaretur, concidentibus animo ethnicis, Deo unicè confisi sint Christiani. In eodem igitur rescripto expressè cautum fuit, ut, *qui Christianismi deferretur, ab accusatione absolutus esset & liber, etiamsi talis esse deprehenderetur, delator verò pœna subjaceret.* Id quod sanè factum nequaquam fuisset, si ex hominibus nequam & malè feriatis constitisset Christianorum cohors. Eaque propter non sine causâ Apologetici antè laudari cantopere queruntur, sine præviâ causæ cognitione, latam fuisse de Christianis non auditis, non defensis, multò minus convictis, feralem sententiam. *Αγνοῦν*), inquit Justinus, (ββ) *καὶ κατὰ χρεῖνον*), ignorantur Christiani, & tamen condemnantur. Et lactei sermonis Pater: (cc) *quia student pagani damnare tanquam nocentes, quos utiq, sciunt innocentes, constare de ipsâ in-*

X 3

no-





nocentiâ nolunt. Quasi verò major iniquitas sit probatam innocentiam da-  
 mnasse, quàm inauditam. Sed, ut dixi, verentur, ne, si audierint, damna-  
 re non possint. Et Cyprianus (dd) inter Patres non ultimæ cavæ, vul-  
 gus, ait, in odium nostri nominis cogunt Dæmones, ut nos odisse incipiant ho-  
 mines antè quàm nosse: ne cognitos aut imitari possint, aut damnare non pos-  
 sint. Et illo denique antiquior Tertullianus: (ee) Quod nesciunt, præ-  
 judicant id esse, quod, si sciant, odisse non poterant, &c. Sed redea-  
 mus in viam, unde paulisper discessum fuit. Sunt igitur porrò  
 ex gentilium Scriptoribus non uni, qui benè de Christianis olim &  
 senserunt & locuti sunt. Prodeat ergò Ammianus Marcellinus,  
 quò veritate historica nescio an quisquam auctor ullibi sit superior.  
 Hic verò utut gentili errore cæcus ac dementatus, tamen fatetur,  
 Christianâ religione nihil doceri, nisi justum & lenè. (ff) Unde & eò  
 progreditur porrò, ut religionem eandem, absolutam ac simplicem  
 vocet. Prodeat Zosimus & ipse paganus, unde creber est in fugil-  
 landis Principibus Christianis, quo nomine etiam à Photio reprehèn-  
 ditur, Evagrio item, Nicephoro & aliis. (gg) Ita verò idem: *ἡ  
 σωτηρίων πίστεως ἐπαγγελία παντός ἀμαρτήματος καὶ πείρας ἀσεβείας ἀπαλ-  
 λαν*, Christiane fidei hæc est pollicitatio, libertas ab omni crimine atque im-  
 pietate. (hh) Quamvis enim hæc ex mente cujusdam Ægyptii pro-  
 ferat; (ii) tamen, quia apertè contradicere non audet, quid aliud agit,  
 quàm ut veritati perhibeat testimonium? Constantiam quoque &  
*ἀδολφείαν* Christianorum, licet aliud agens, summopere tamen ex-  
 tollit Arrianus Philosophus, (kk) sub Hadriano Imperatore doctrinæ  
 laude conspicuus. Etenim hæc præcipuè nota discerni ait τὰς βε-  
*βαμμένους ἀπὸ τῆς βαπτισμῶν*, hoc est, baptismo ritè initiatos ab iis,  
 qui licet baptismo tincti essent, Christi tamen fidem ore tantum, non  
 operibus profitebantur, si constantem animum & firmum, non vari-  
 um & ancipitem præ se ferrent. Eandem in Christianis firmitudinem  
 animi prædicat quoque Galenus, iniquus aliàs Mosis & Servatoris  
 censor. (ll) Namque Medicorum & Philosophorum quorundam per-  
 tinaciam notaturus, citius ait (mm) Christianos religionem suam eju-  
 ratorios, quàm illi meliorem sententiam induant animo. Quod ipsum  
 etsi improbabat Galenus in Christianis; tamen, quia immoto & pla-  
 nè divinò nitebatur fundamento ipsorum constantia, rectè fecisse cen-  
 sendi sunt, sibi & aliis æternum gloriæ decus peperisse. Falleban-  
 tur enim, ut rerum Christianarum immanè quantum rudes, qui hanc  
 animi, optimè compositi, magnitudinem ad pervicaciam inconsultam  
 interpretabantur. *Proh mira stultitia & incredibilis audacia!* inquit  
 Cæci-



Cæcilius apud Minucium Felicem: (nn) spernunt tormenta presentia, tunc incerta metuunt & futura: & dum mori post mortē timent interim mori non timent, ita illis pavor & fallax spes solatio redi vivo blanditur. Quibus verbis simul innuit idem, unde fuerit, quod tantā animi constantiā martyria subirent Christiani; ex eā videlicet persuasione, quam de vita pariter ac pœnis post mortem æternis conceperant. Quas Deorum juxta & hominum irrisor, Lucianus κενὰς ἐλπίδας, spes vanas, & frustraneas frustra ac perperam vocat. (oo) Qui idem & alibi (pp) hæc ore blasphemio eructat: πεπεύκασιν αὐτῶν οἱ καὶ δαίμονες, τὸ μὲν ὄλον, ἀθάνατοι ἔσεσθαι καὶ βιώσεσθαι, τὸν αἰὲ χρόνον, παρ' ὃ καὶ κατὰ φρονῶσι τὰ θανάτου, καὶ ἐκόντες αὐτῶν ἐπιδιδόασιν οἱ πολλοί, persuasere ipsis mali demones omnino ipsos immortales fore & perpetuum vidituros ævum; quapropter & mortem contemnunt, sponte se ipsos tradunt in mortem multi. Increpet te Dominus Satan, increpet te! (qq) Igitur rectius fecit idem Sophista, quando in eodem libello, (rr) summam Christianorum charitatem in Peregrinum, carceri mancipatum propter Christi nomen, & liberalitatem extollit. Etsi enim isthæc omnia in opprobrium Christianorum dicta velit homo nefarius; quia tamen verissima sunt, ideò ipsis summo esse honori existimamus. Nolo adferre in præsentem, quod non nemo scribit, (ss) religionem Christianam sectam nemini molestam passim à paganis fuisse dictam: Nolo etiam Tertulliani auctoritate communi, quod vulgi quondam fuisse verbum idem ait: *Bonus vir Cajus, Sejus, tantum quod Christianus.* Nam prius, cujus contrarium potius ex gentiliis scriptis ubique elucet, in medio relinquimus; alterum verò, si integra inspiciantur Tertulliani verba, (tt) odium potius, quàm laudem Christiani nominis prodit. Ita enim sonant: *quid? quod ita plerique clausis oculis in odium ejus (Christiani nominis) impingunt, ut bonum alicui testimonium ferentes, admisceant nominis exprobrationem. Bonus vir Cajus, Sejus, sed malus, tantum quod Christianus.* Quæ sanè, nisi parum prospiciunt oculi, nihil faciunt ad Christianorum laudem. Et fatemur sanè, manuque largimur utrâq; pluram in infidelium libris occurrere, in contumeliam Christianorum, quàm encomium dicta. De quibus cum nunc disserere chartæ angustia prohibeat; eadem alii sὺν Θεῷ reservamus occasione. Nunc pauca de VALEDICTURO dicendum restat. Est is Jo. CHRISTIANUS Hesse / PEGAVIAMISNICUS, per quadriennium cum semestri disciplinæ nostræ alumnus. Nam à PATRE OPTIMO, VIRO PER QUAM REVERENDO ET CLARISSIMO Dn. M. GOTHOFREDO HESSO, ECCLESIAE PEGAVIENSIS DIACONO VIGILANTISSIMO, AMICO



AMICO VETERI AC VENERANDO, A. O. R. ∞ Ioc LXXVII. ad nos missus, nomen ipsis Kal. Maji professus est. Ex quo tempore nihil intermisimus, quod cum in virtutum tramite ducendo, tum literis humanioribus imbuendo Adolescente, commodum videbatur & necessarium. Indolis, quam indulgit natura, bonitatem ac profectus non pœnitendos cum alia ostendunt & præter oculos exponunt specimina, tum illud imprimis, quod in laudem studii Theologici cras, Deo volente, publicè in eruditorum confesso habebit, non proletarium. Discessurum itaque uti lubentes & bonâ cum veniâ dimittimus: ita votis prosequimur devotis, Deum pro ipsò rogantes sollicitâ prece, ut feliciter pergat in studiorum stadio, pietati litet usq̃, & in egregium deniq; Virû evadat. A vobis autè, PLURIMUM VENERANDI DNN. INSPECTORES, à vobis item, QUICUNQUE ESTIS, VIRI DOCTISSIMI, peto atque contendo submissè pariter & officiosè, ut VALE nobis DICTURO, Vestram benevolentiam atque attentionem commodare, ad paucillum tempus, hæud gravatè velit. Gratissima id animi mente nos agnituros. sanctè & velut ad aram pollicemur. λόγου δευτερευουσιν carminicè habebit HEINR. JO. KOEBERUS, GERANUS. P. P. Geræ d. XV. Nov. Anno æræ vulgaris ∞ Ioc LXXXI.

### NOTULARUM EVOLUTIO.

(a) Cic. in Som. Scip. (b) vid. Voss. de Idol. l. 2. c. 31. seqq. (c) Justin. l. 1. & Voss. l. c. c. 9. (d) c. XLIV. (e) lib. V. Hist. nat. c. VIII (f) lib. 2. de finib. f. 85. ed. Gothofr. (g) l. 1. Pol. c. 2. v. Rachel. in Off. Cic. p. 77. (h) vid. Drej. sap. prim. Disp. XIV. §. 16. (i) l. 1. de leg. (k) l. 1. de leg. (l) lib. VII. H. N. proœm. (m) Hor. l. 4. od. 7. (n) Senec. ad Marc. c. 11. (o) Epiet. in Altercat. cit. Ursin. in miscell. p. 14. (p) l. de Spir. & an. c. 51. (q) vid. Rupert. in Flor. p. 37. (r) 1. Cor. IV. 13. (s) Lib. X. ep. 97. (t) pro M. Fonteij. f. m. 305. G. ed. Gothofr. (u) Apolog. c. 2. (x) de demonstr. Evang. p. 59. (y) vid. Huet. l. c. (z) l. IV. Hist. Eccles. c. XIII. (aa) de demonstr. Evang. p. 60. (bb) in epist. ad Diognetum, citante D. Kortholto comm. in Plin. & Traj. epist. p. 32. (cc) lib. V. divin. Instit. c. 1. p. 161. f. e. b. (dd) lib. de Idol. vanit. ap. Kortholt. l. c. p. 33. (ee) Apolog. c. 1. (ff) ita citat & inquitur D. J. Henichius de ver. Rel. Christ. p. 49. (gg) v. Voss. de Hist. Grec. in Zosimo. (hh) Ita Henich. l. c. (ii) v. Zosim. ex edit. Cl. Cellaris nostri, p. 180. (kk) Arrian. Epiet. l. 2. c. 9. cit. Huet. p. 59. (ll) v. acutissimus M. Zeidl. Analyt. p. 655. (mm) de differentiis pulsuum lib. 3. (nn) p. 79. ed. Jacobi Ouzelii. (oo) in Philopat. v. Ouzel. l. c. p. 80. ex Wovv. (pp) in Peregrin. f. 388. Id. l. c. (qq) Zach. III, 2. (rr) v. Huet. p. 61. (ss) Henich. l. c. p. 49. (tt) Apolog. c. 3.




Q.K.  
415  
9.

DIS  
NU  
LAU  
ANOR

PLUR  
INSI  
OMNEI  
FAUT  
M. JOH  
ILLU  
JOH. C

OR  
Subn  
BIBLIOTHECA  
POMICKAWIANA




**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

**KODAK Color Control Patches**

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue



398/  
A  
IN  
STI-  
DIXE-  
LE  
UM  
RUM  
öber/  
ESSI

Π i  
1990

BIBLIOTHECA  
POMICKAWIANA

May. 5. 1910  
a.

0110

